

CONRADVS RATISBONENSIS CANONICVS



Conradus de monte Puellarum dictus, prima liberalium artiū fundamenta Erdfōrdiæ hau sit. Postea amore literarum Lutetiā profectus est, ubi philosophiam & sacras literas per octo annos publicē magna cum laude prælegit. Erat enim ingenio subtilis, & eloquio clarus. hinc factū ut in uirū omnīs generis doctrinæ doctissimum euaserit. Postq̄ autem Doctoralia insignia cōsecutus esset, in patriam redijt, atq̄ Ratisbonensis Ecclesiæ Canonicus electus fuit. Scripsit ibi ad Lupoldum episcopum Bambergēsem nobile opus, quod Oeconomiam inscripsit, librīs tribus distinctum. præterea Monastica & Politica ædidit, cum multis alijs quæstionibus. Claruit anno Christi 1390. sub Vuentzelao Imperatore, & Vrbano 6 pontifice. Trit.